



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 290. Illa autem accesserunt & tenuerunt pedes eius & adoraverunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

186 RESURRECTIO DOMINI N. SECUNDUM MATTHÆUM
ut possim à te quandoque recipi, salutari & confortari.

§. 290. *Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius & adoraverunt.*

Piæ illæ mulieres ex loquela Iesum agnoscentes in via ô quanto gaudio perfulsæ fuerunt, quod meruerunt eum iam saluum & incolumem, vivum & gloriosum videre resurrexisse, de cuius morte & passione ante triduum ita doluerant, & compassi fuerant, quid igitur mirum si accurrerint præ gaudio. & provolverint se ad pedes eius, & adorarint, & tenuerint eum ex amoris excessu, suaves lacrimæ eruperint, quia quem quærebant invenerunt, quem dilexerunt, tenuerunt, quem honorare cupiebant, adorabant, ab ipso separari nullo modo volentes. O amor!

Quis mihi det bone Iesu ut te semel perfecte quæram, inveniam, adorem, videam, teneam totus profusus in te & amore tui liquefacta anima exultet magnificando te, nil sapiat nisi te, nil cogitet nisi te, nihilo fruatur nisi te, tunc satiaberis anima mea in Deo tuo.

§. 291. *Tunc ait illis Iesus: nolite timere.*

Piæ hæ mulieres primo ex natura erant & timidæ. 2. ex horrore concepto inter eundem ad Christi sepulchrum ob nocturnos metus hominum connaturales. 3. ob Angeli visionem & splendorem. Ideoque ait illis Iesus nolite timere, quasi diceret, deponite omnem istam sollicitudinem nemo vobis obviabit alius quam ego, ego vobiscum sum, nemo vos impedit à concepto proposito, ite in pace & annuntiate fratribus quæ vidistis & audistis de meâ resurrectione.

Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde, patet hic in te querentibus & laudem tuam annuntiare volentibus, cum timore tamen & tremore ne forte impediatur: Præsto es eis, & adhortaris ne timeant, quare mi Iesu non timebunt vigilas noctis, vel & milites, vel & Iudæos fors ipsis obviantes, & remoram iniicere volentes? non, quia ego protector omnium in me sperantium, ego via ipsorum & comes, & quis contra me pugnabit dominatorem cæli & terræ?

Ergo ne ego quoniam in te Domine speravi non timebo? vel peccatum, mundum, carnem vel diabolum: non, nisi ultro accesseris ad ea & iuseris cum eis, quia quis confusus est & speravit in me? & fecit & docuit legem meam: Quia ita est, ô Domine Iesu, Ecce paratum cor meum ad tibi servendum, jube quod vis & da quod jubes.

§. 292. *Ite nuntiate fratribus meis ut eant in Galileam ibi me videbunt.*

Accipiamus ista quasi diceret, Ite, ô fideles mulieres, recuperate honorem